

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-LITERARIA

EXHIBENS

LOIMOGRAPHOS

SECVLI

XIII. ET XIV.

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

PERILLUSTRIS ET SPECTABILIS DOMINI DECANI,

nec non

CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

RITE OBTINENDA

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VINDOBONENSI

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Carolus Bernt,

BOHEM. PRAGENSIS.

In Theses adnexas disputabitur in aedibus Universitatis
die 16. Julii 1831.

VINDOBONAE.

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

*Josephus Bernt Carolo charissimo
filio S.*

Studiis academicis exantlatis accidit et tibi, commilitonibusque tuis, ut, quod haud raro factum memini, ad summos in facultate medica honores adspirantes, in eligendis dissertationum argumentis, quas elaborari a Neodoctoribus instituta majorum volunt, haereatis. Nihil magis autem verentes, quam ne lucubrationes vestrae, velut crambe bis cocia, lecturis nauseam moveant, ad me conversi, consilium in hac re meum petere duxistis.

Adest opitulandi studium, quo nec filiis unquam, nec discipulis defui, atque in promptu habeo dissertationum materiam adeo amplam, adeo foecundam, ut vel a centenis medici doctoratus candidatis exhauriri vix ac ne vix quidem possit.

Ditate adunatis viribus literaturam medicam opere diu desiderato, nimirum *Bibliotheca medico-loimica*; quae autem, ut lectoribus jucundi-

tatem, scientiae incrementum, generique humano utilitatem pariat, non solum Loimographorum nomina, agnomina, patriam, natales, quando nati sint, quam aetatem attigerint, et quo aetatis anno, qua occasione, occubuerint, quos praeceptores nacti sint, ubi floruerint, quibus studiis et scriptis inclaruerint, vitas et elogia aut ex ipsis auctoribus, aut ex eorum editoribus et commentatoribus, aut aliis Bibliographis excerpta, referat; sed etiam, quod consilii mei summa est, quid singuli de peste scriptores scitu memoratuque digni observaverint, docuerintve, orbi literato perspicue breviterque communicet.

Non me praeterit, seculi nostri ingenium fere esse tale, ut antiqua hujus generis scripta, quae a vobis in hunc finem pervolvenda erunt, pro obsoletis repudiet, recenter inventa, observata, excogitatave unice laudare, iisque palmam deferre soleat. Nec ipse inficias eo, scriptorum opera, quae sub typographiae incunabula in lucem prodiverunt, sermonis barbarie ita esse contaminata, ut ea versare taedeat, et posteriorum quam plurima aut brevitate nimia obscura, aut prolixitate immodica molesta, aut opinionum ambiguitate adeo implicita esse, ut eadem intel-

ligere arduum sit. Haec autem non obstant, quominus plurimum illis paucis tribuam, e quorum sententia recte sentire de praesentibus atque novis tum demum licet, quum praeterita et ante nos acta probe perspexeris — ne dicam praeclara viguisse omnibus retro seculis ingenia, quorum nisi doctrina, saltem indagandi observandique naturam methodus minime indigna, quae ex antiquatis tenebris in lucem protrahatur.

Vos autem, ut labyrinthum temporum et scriptorum ingressuros filo *Ariadnaeo* adjuvem, monendi mihi estis, tam in sacra pagina, quam in Graecis Latinisque scriptoribus, inde ab antiquissimis temporibus, commemorari morbos, genus humanum pestis instar depascentes, immo ipso nomine pestis insignitos, qui tamen, non exclusa famosissima illa lue Atheniensi, ad veram pestem, eo sensu, quo hodie vocabulum sumitur, minime referendi, sed potius tum ad luem Pannonicam, aut typhum contagiosum, tum ad febres intermittentes perniciosas, variolasve, et quidem ideo revocandi sunt, quia in harum epidemiarum descriptionibus nulla bubonum mentio facta est; quippe qui verae pestis certissima indicia et testes sunt, sine quibus hac lue affecti raro valetudine emergunt.

De genuina peste, bubonibus scilicet stipata, mentionem primam historiographi seculi DC. intulerunt; cujus originem anno DXLI. *Procopius* in Aethiopia, *Evagrius* Pelusii in Aegypto reperit, quamque seculo ineunte VIII. *Paulus Warnefridus* (De gestis Longobardorum. Edit. Lugd. Batav. 1595. 8. Lib. II. Cap. IV. pag. 49.) ita describit: „Tempore *Narsetis* in provincia praecipue Liguria coeperunt nasci in inguinibus hominum, vel in aliis delicatioribus locis, glandulae in modum nucis seu dactili, quos mox sequebatur febrium intollerabilis aestus, ita ut in triduo homo extingueretur; si vero aliquis triduum transegisset, habebat spem vivendi.“

Ab eo tempore rerum gestarum et memorabilium scriptores curiosiores, quoties urbes regionesve a morbo epidemico devastatas fuisse tradunt, addere consueverunt, utrum lues bubonibus stipata incesserit, nec ne. Quod ubi oblitigit, *pestem buboniam*, et pro varia bubonum sede aut *inguinariam*, aut *axillarem paroticamve* nuncupaverunt; ac demum, quia ejusmodi tumores rarius in aliis corporis emunctoriis, frequentissime vero in inguinibus pullulant, *pestis inguinariae* nomine communiter insigniverunt.

Ne autem culpemini, falcem in messem alie-

nam immisisse, simulque, ne opus, quod meditatur, in immensum increseat, vobis suadeo, ut historiarum generalium relatores, pestem obiter tantum et per transennam quasi pertractantes, e bibliotheca vestra excludatis. Suffecerit geminos et authenticos loimographos commemorare, qui adversus pestis saevitiam aut consiliis suis castra metati sunt, aut scribentes aciem instruxerunt, aut denique ipsi cum praesentissimo vitae periculo dimicarunt. Prae ceteris autem illorum merita sunt praedicanda, qui, aetoptae, ortum, progressum et decursum luis pestiferae observantes, mera facta et data retulerunt; quales tota veneranda antiquitas nullos, seculum XIII. et XIV. primos, sed paucissimos, XV. paucos, secula subsequencia vero usque ad XVIII. (ex quo pestis interdum Europam infestans intra Turciae fines continetur), quam plurimos numerant.

Quod ad libros necessarios attinet, eos vobis tam thesauri bibliothecarum caes. reg. aulicae et universitatis Vindobonensis, quam amicorum in propinquis et remotis locis degentium favor abunde suppeditabunt. Vestrum erit, horum omnium editiones, qua lingua prodierint, qua forma extent, una cum loco et tempore,

quibus prelo mandati sint, qui plane novi, quive recusati, sedulo adnotare.

Caeterum nemo mirabitur, si in tanta scriptorum multitudine, ex quibus, quidquid boni inest, excerpendum erit, operis vestri styli varium, et sui dissimilem invenerit. Nefas enim esset, verba eorum respuere et ab eorum dicendi genere recedere, quorum observationes et consilia recte percipere exoptamus. Nec minus lector candidior quisque lubens veniam dabit, si forte coacti fueritis, unum alterumve auctorem, qui ad manus vestras tardius pervenerit, extra ordinem chronologicum seorsim intercalare, aut si quid in opere, tam laborioso et multiplici, erratum fuerit.

Viennae die 16. Maji 1831.

P a t r i o p t i m o

E T

P E R D I L E C T O

I N

A E T E R N A M P I I A M O R I S M E M O R I A M

P A G E L L A S

H A S C E S A C R A S E S S E V U L T

g r a t i s s i m u s f i l i u s .

LOIMOGRAPHI SECVLI



LEONARDUS AUGUSTUS.

Italus, Bergomensis, qui aequè Medicis, ac Philosophicis studiis, ac historica gloria coruscavisse dicitur. Hujus antiqui scriptoris meminit *Bressian. Giuseppe* in *Virtu ravnivat* etc. De eodem *P. Donatus Calvus* in *Scena liter. Scriptorum Bergomensium* in appendice ad litt. L. sic scribit: *Leonardo Agosti* in Cremona visse, et mori questo nobil Fisico, et erudito Filosofo in que primi anni, che la stirpe Agosta fù colà da Orfeo Agosti portata; onde viveva *Leonardo* l'anno del Signore 1250 scrisse etc. Idem auctor in libro citato memorat, alium *Leonardum Augustum* hoc seculo vixisse.

Opera, quae *Leonardo* nostro claritatem nominis attulerunt, sunt:

De origine Cenomanorum in Italia.

De modo curandi Infirmos.

Repertorium de Peste, lib. tres.

(Vide *Arisii* Cremon. literat. Tom. I. p. 118. *Calvi* *Scena letteraria degli Scrittori Bergamaschi*. p. 376.)

Repertorium hoc in nostratibus Bibliothecis publicis non inveniri, eo magis dolendum est, cum

in eodem pestis bubonariae literatura antiquissima pertractari opusculi titulus adnuere videatur.

ANGELUS CAMERINENSIS.

Italus, ortus Camerini in Umbria, archiater Pontificis *Bonifacii* VIII. versus finem seculi praedicti florens, reliquit codices M. S. praeservationis a peste, regiminis, praeservationis a venenis.

(Vide *Mandosii* theatrum Archiattrorum p. 31. Biblioth. medic. practic. Auctore *Alb. von Haller* Tom. I. p. 437.).

Codices hi in Biblioth. caes. reg. aulic. quoque desiderantur.

ARNOLDUS de VILLANOVA.

Natus Villanovae, in oppido Galliae Narbonensis, an. Chr. 1300 *) patre plebejo, *Petri Aponensis* et *Raimundi Lullii* coetaneus; Philosophico studio in adolescentia floruit, calluitque, praeter usitatas linguas, hebraicam, graecam et arabicam. Cum esset annorum ferme viginti, ad Parisiensem academiam cum aliis scholasticis se contulit. Hinc post annos decem Montempessulanum profectus medicinam au-

*) D. Chr. Wilh. Kestner (med. Gelehrten-Lexicon) ex Nicéron memoir. Tom. XXXIV p. 62. seqq. recitat, auctorem hunc circa annum 1250. natum et anno 1313. mortuum esse.

divit; atque inde in Italiam ad Pythagoreos philosophos concessit. Ab his in Hispaniam ad Arabes philosophos se recepit. Decreverat ad Graecos progredi; verum propter Graeciae bella a proposito destitit. Regressus demum Galliam Medicinae praxim et Alchymiam, auri scilicet conficiendi methodum, Parisiis publice docuisse, magicarum artium, quoad sigillorum, characterum, divinationis et praedictionum astrologicarum facultatem approbavisse dicitur; tandem singularis cujusdam haereseos suspectus ad Siciliae regem *Federicum* perfuga se contulit. Hinc a rege Romam missus ad sanandum summum Pontificem, in itinere an. Ch. 1363. (sive 1313.) aetatis suae 63. obiit in mari, ex eoque Genuam translatus, ibi sepultus est, cum marmoreo monumento, quod adhuc ibi visitur.

Librorum variorum, quos exaravit *Arnoldus*, titulos recenset *Georg. Abrah. Merklinus* in *Lindonio* renovato p. 90 — 92; exstantque ejus opera omnia, et in caes. reg. Biblioth. aulica sub signo LXVIII. Q. 24. asservantur, hocce insignita titulo:

Arnoldi de Villanova medici acutissimi opera nupperrime revisa: una cum ipsius vita recenter hic apposita. Cumque tractatu de philosophorum lapide. Additionibus marginalibus tabulaeque librorum et capitulorum in hac novissima impressione: diligenter additis. Lugduni impressa in calchographia honesti viri Jacobi Myt. Anno Domini MCCCCXXXII. die vero X. Junii. Fol.

Prima editio in lucem prodiit ibidem apud *Guil. Huyon*, 1520. in Fol.

Basileae, apud Waldkirchium, 1585 eadem forma; cum *Nicolai Taurelli* in quosdam libros annotationibus.

Auctorum judicia de *Arnoldo* haec occurrunt: *Gentilis Fulginas* prolixior fuit, *Arnoldus* vero brevior; *Gentilis* veluti semina nobis tradidit, *Arnoldus* autem semina illa excoluit, propagavit et illis perfectionem imposuit; *Gentilis* medicinae scholasticae concepta conscripsit, *Arnoldus* practicae medicinae regulas et canones juvenibus tradidit; *Gentilis* copiosior fuit, *Arnoldus* tamen pleraque memoratu digna suo ingenio addidit.

Raimundus (Lullius) in suo medic. quadripartito quod scripsit Ylerdi appellat hunc *Arnoldum de villanova* comittatus Eniperciarum fontem omnium scientiarum, quia in omnibus scientiis praeter ceteris hominibus floruit; dicit de se ipso, ejus sententiam libenter amplector, a quo multa mirabilia et secreta didici. *)

In copiosis, et diversissimi argumenti, hujus auctoris scriptis nil, et quidem neque in tractatu de febribus pestilentialibus, in tractatu de dosibus tyriacalibus, nec in Receptis electuarii mirabilis praeservantis ab epidemia, nec demum in Antidotario, licet summa in quaerendo adhibita industria, quidquam, inveniri potuit, quod pestem proprie sic

*) Vid. Cod. chart. med. 112. f. 589. Bibl. caes. reg. aulic.

dictam spectat. Nihilominus Loimographi illi aequales eundem inventorem remedii efficacissimi ad sanandum hunc morbum praedicant; quod — ut specimen in medium proferamus, quae, quot, qua ratione et in qua dosi, medici illius seculi medicamenta praescribere soliti fuerint, ad verbum ex *Guidonis de Caulico* chirurgia magna *) transcribere in animo est.

Rp. Sem. Junip. drch. $\text{jj}\beta$. Caryophl. Macis. Nucism. Zingib. Zedoar. $\overline{\text{aa}}$ drch. jj . utriusque Aristoloch. rad. Gentian. Torment. rad. herb. Tunic. Dictam. Enulae. Campan. drch. $\text{1}\beta$. Salviae, Rutae, Balsamit. Polemon. $\overline{\text{aa}}$ drch. j . bacc. Lauri, Doronici, croci, sem. Acetosae, Citri, Ocymi, Masticis, Olibani, Bol. arm. terrae sigillatae, Spodii, ossis e corde cervi, rasura Eboris, marg. fragmentorum, Sapphyri et Smaragd. Coralli rub. lign. Aloes, Santali et Muscatellini $\overline{\text{aa}}$ drch. β . conserv. Rosarum, Buglossi, Nenufar. Theriacae probatae $\overline{\text{aa}}$ unc j . panis Zucc. lib. jjj . Fiat electuarius cum aqua Scabiosae et Rosar. modice camphorata.

NICOLAUS de St. SOPHIA.

Nobilis, et ab ultima stirpe Patricia, quamvis oriunda dicatur Constantinopoli, Patavii semper fuit, qua a St. *Sophia* familia dicta est, ac seculo superiore recepta in album Venetae Nobilitatis, augustae Aristocratiae particeps claret. Sapientiae, cujus nomen praefert, gloriam et ex sapientia gran-

*) Editio Laur. Jouberti. Lugduni, 1583. 4. p. 106.

de nobilitatis subsidium, opes sibi comparavit arte medica partas, in qua Majores ejus, cum in patrio Gymnasio, tum aliis, inter professores praecipuos sospitalis scientiae primas tenuere. Dicitur *Nicolaus* discipulus *Petri Aponensis*, ejusque successor, fama nominis minor, virtute, ac sapientia et felicitate tum publicarum praelectionum, tum privatarum curationum, si minus major, at certe par; indeque habitus {Medicorum in Gymnasio Patavino profitentium antesignanus seculo XIV., ut colliges ex *Scardeonio* et *Riccobono*. Coepit ab anno 1311, pertigit artem medicam illustrando ad annum 1350, quo vivere desiit, mense Majo.

Filios habuit duos medicos clarissimi nominis, *Marsilium*, qui fuit intra seculum XIV. Patavii clarissimus publicus Professor, et *Joannem*, qui major fratre, et par patri in fine XIV. et initio XV. seculi Philosophiam et Medicinam in Gymnasio Patavino professus est.

Scripsit *Nicolaus*: Commentarium in *Avicennam*; libros tres de Diaeta; libellum de morsu Viperæ, et de Sinapismo; libros duos de curatione februm pestilentium et acutarum.

(Vid. Histor. Gymnas. Patavin. Tom. I. p. 280.)
Sed opuscula hæc in nostris bibliothecis publicis non reperiuntur.

CAESAR PALLAVICINUS.

Italus, Cremonensis, inter nobilissimos suae aetatis Medicus illuxit, et verus Anarghyrus in egenis Patriae curandis; namque in praxi minime quaestu et lucro ductus, infirmisque, quibus parva erat res familiaris, sine ullo munere opem ac operam praestitit. Posteritati vivit hisce operibus, quae vero quoque in bibliothecis Vindobonensibus publicis desiderantur.

De praeservatione a morbo Pestilenti libri III; de Tumoribus praeter naturam; de substantia Virtutum naturalium; de differentiis Pulsuum; de Accidenti, et Morbo.

Annunte *Buschetto* olim in aedibus *Divi Jacobi Humiliatorum*, nunc in clyto Cler. Regul. *St. Pauli* collegio injunctus, legebatur hocce epitaphium:

Jacet intus sub lapide egreg. Art. et Medicinae Doctor *D. Caesar Pallavicinus*, qui spiritum suum reddidit Creatori die XV. Novembris anni salut. MCCCLXXXIX. *Constantia Borromaea* Uxor moestiss. h. M. pos.

(Vid. *Arisii* Cremon. literat. P. 1. p. 176.).

GENTILIS FULGINAS.

Sive *Gentilis* de *Fulgineo*, aut *Gentilis* de *Gentilibus*, Italus, alterius *Gentilis* medici filius, natus

initio seculi praedicti, in Medicina *Thaddaei Florentini* discipulus, Medicinae Professor solertissimus magno apud omnes in honore vixit, Speculator nuncupatus, cujus opera omnium judicio probata, ac curate studioseque lecta sunt, cui inprimis expositiones in *Avicennam* tantam celebritatem contulerunt, ut eundem animam *Avicennae* appellare solerent; quique ob sapientiam a Communitate *Bononiensi Perusinaque* civitate donatus est, et *Perusiae* domum apud ecclesiam *St. Augustini* obtinuit, in qua sacellum *St. Antonii* Abbatis erexit. *Perusiae* per *Franciscum* secundo-genitum filium familiam de *Gentilibus*, et per *Jacobum* filium primogenitum familiam *Gentilem de Fulgineo*, plantavit.

Cum anno 1348 *Perusiam* urbem atrocissima illa pestis devastaret, quae ab anno 1346 usque ad 1352 totum fere terrarum orbem peragravit, quamque Itali *mortalega grande*, *anguinalgiam*, Dani *der sorte Dod*, et Sueci *Diger-döden* (den schwarzen Tod) nuncupaverunt, *Gentilis* noster cum Collegio Magistrorum pro urbis infirmorumque regimine incubuit; qua occasione ex frequenti aegrorum visitatione pestilentia correptus est, et sex dierum spatio extremis fatibus concessit, quod accidit die 12. Julii supradicti anni. Mox ejus corpus delatum fuisse *Fulgineum*, ibique in templo Eremitarum *St. Augustini* depositum, testatur *Franciscus de Fulgineo*, qui *Gentilis* aegritudini interfuit, et ad obitum usque nunquam ipsum dimisit.

De vita ejustractant: *Austinus Oldoinus* in Athenaeo Augusto, *Andr. Tiraquellus* in Medicorum per Alphabetum Nomenclatura, multique alii; et ejus opera medica consignavit *Joan. Anton. Vander Linden*, de scriptoribus medicis. Lugdun. Batav. 1637. 8. Lib. I.

De peste disserit in Recepte de Febribus, et in consiliis, quorum inscriptiones et editiones haec sunt:

Consilia Cermisoni.

Consilia Gentilis.

Recepte Gentilis de Febribus.

Tractatus de balneis Gentilis.

*Tractatus de tyriaca Francisci Caballi. Venetiis per Bonetum Locatellum presbyterum, Mandato et sumptibus heredum quondam Nobilis viri domini Octaviani Scoti Modoetiensis. Anno dni. MCCCC in fol. minori *).*

Consilia peregregia ad quaevis morborum corporis genera etc. Venetiis, apud Octav. Scotum, 1503. in fol. De febribus. Venetiis 1526 in fol.

I. De febribus pestilentialibus exstant capita tria.

Caput I. de causis et signis pestilentiae agit (fol. 84. a tergo.)

Secundum auctoris doctrinam morbi epidemici vulgares v. g. dysenteriae, producuntur corruptione aëris in *qualitate* ex causa superiori, febres pestilenciales vero a corruptione aëris in *substantia* ex causa superiori et inferiori simul.

*) Exemplare nri sumus, quod in bibliotheca caes. reg. aulica sub signatura * LXIX. A. 102 asservatur.

Hae communicantur multis, maxime praeparatis, aut ratione plethorae, aut debilitatis, et quandoque aetatis.

In istis febribus cor specialiter patitur; et, ni subito interficiant, si superflui humores sint in capite, hi mittuntur ad inguina, si in cerebro, retro aures, si in corde, ad subassellas, aut ad alia membra remota, et oriuntur bubones, carbunculi aliaque apostemata; quae quanto a corde et emunctorio sunt remotiora, tanto minus periculum protendunt.

Causae mortem tempore epidemiae multiplicantes sunt: desperatio de salute ob vindictam et iram Dei; confidentia in absolutionem a poena et culpa, ob quam multi eligunt mori quam vivere; denegatum auxilium et servitium, propter contagionem morbi; mala imaginatio de medicamentis, quorum usu aegri se credunt toxicatos; mala regiminis ordinatio, inprimis superflui coitus, qui illis sunt venenum; usus medicinarum laxativarum, quibus viae aperiuntur, et humores in corpore moventur.

In capite II. de *cura praeservativa* disseritur (fol. 85.).

Primum consilium in pestilentia est fugere.

Deinde si materia vincens fuerit sanguinea, vena secanda est; sanguinis diminutio autem sit parva et saepius repetita, et ex vena, per quam sanguis nocivus melius evacuari possit, quod praeprimis noscitur ex sensu gravitatis in aliquo membro speciali.

Ad solvendum ventrem commendat pilulas ex aloe, croco, myrrha.

Laudat usum tyriaci vel mitridati cum aqua acetosae vel buglossae, quae dirigit virtutem medicinarum ad cor, et boli armeni, qui vias claudit, ne malus aër tam cito et facile cor attingat.

Fenestras domus jubet claudere, in camera nutrire ignem lignis siccis, non fumantibus, aromaticis, irrorare parietes cum aqua rosarum et aceto, sternere domum cum summitatibus po-

puli, salicis etc.; non de lecto surgere ante ortum, et non egredi e domo post occasum solis; vitare motum corporis, quia eodem dirigitur aër pestilentialis ad cor.

In capite III. *de regimine, quod debetur aegris in pestilentia* (fol. 85. a tergo), praescribit:

febricitantibus syrupum ex succis variarum plantarum v. g. boraginis, buglossae, acetosae, et aquis medicatis cum saccharo et aqua frigida, quae prius bulluit; trochiscos ex camphora in aqua medicata solvendo; electuarium ex farragine medicamentorum cum camphora et bolo armeno;

febricitantibus autem cum apostemate, ut in principio cito et quacunq; hora vena secetur, si in emunctoriis cerebri cephalica, si in cordis mediana, si in hepatis saphaena; et apostematis eminentia major scarificetur, et postea culus depilumatus galli vivi apponatur.

II. *Consilia de peste* scripsit duo et fere ejusdem argumenti (fol. 76.).

Nulla, inquit, praecessit pestilentia mirabilior ea, quae nunc (anno 1348) est; praegressas malitia et perniciose invasione superat.

A meridionalibus et occidentalibus partibus pervenit Italiam; ab occidentali incepit, omnia loca maritima occupavit, Januae prius, quam Perusiae se manifestavit.

Astrologi quidam causam esse credunt praeteritam eclipsim; alii commotionem *Saturni* et *Jovis* in signo aquarii et oppositione leonis; nonnulli corruptionem aquarum. Causa particularis et immediata est: materia quaedam venenosa, circa cor et pulmones generata, qua fit hujus pestilentiae per contagionem infectio de homine in hominem, et de terra in terram.

Commendat sanis et infirmis usum tyriacae et metridati; jubet accendere ignes elevatae flammae in singulis locis domus et in stratis, ponereque super ignes pro sanis Juniperum, pro infirmis salicem, myrrtas, granata, cibis uti laudabilibus, mo-

nens attamen, acetosa majori quantitate sumpta assistere putredini, percutere spiritualia et esse suspecta.

Pro potu sanis commendat vinum subtile, vel lymphatum; sanis et aegrotis aquam hordei cum vino granatorum; et actu aegrotantibus aquam rosoram cum vino subtili et bolo armeno pulverisato cribellato.

Utile esse opinatur: odorare camphoram in calidis, et muscum in frigidis; sanis intendere purgationibus et phlebotomiae; febricitantibus subvenire subito cum phlebotomia et ventosis circa nates, et clisteriis materiam ad inferiora trahentibus.

Infirmis adstantes sumant omni mane tyriacae drachmam dimidiam cum vino; frequenter lavent manus modo cum vino, modo aqua acetosa, modo cum aceto; semper teneant inter se et infirmum (qui ponendus est in loco alto) ignem; saepe exeant cameram infirmi, et flantes ventos septentrionales recipiant per omnes fenestras.

Ad Consilii II. (fol. 76. a tergo) calcem sequitur regimen praeservativum, quod *Gentilis* cum collegio Magistrorum de Perusio providit; in quo, praeter jam recensita, pauperibus prassii, hyssopi, scabiosae, vel enulae, allii usum commendat; pulveris ex bolo armeno vero in hac pestilentia, propter constitutionem pectoris et ejus stipticitatem, generaliter praecipere non ausus est.

Consultitur denique, ut domini terrarum ordinent aliquos homines bonos, qui colloquia habeant cum medicis, et secundum eorum ordinationem disponant civitatem, in quantum pertinet ad sanitatem hominum.

GUIDO DE CAULIACO.

Celebris Medicus et expertus Chirurgus in Gallia, circa medium seculi XIV. vicens, *Bertrutii, Petri*

de *Bonanto* et *Henrici Hermondanilae* discipulus, in *Gymnasio Montis Pessulani* medicinae et chirurgiae per multos annos summo cum laude Professor, postea a *Clemente VI.* Pontifice Romano, illius fama permoto, *Avignonem* accersitus est, ut medicus ipse esset, eo potissimum tempore, quo saevissimum pestis genus toto terrarum orbe et in Gallia 1348 grassabatur; quo in munere ita feliciter, fideliter ac sapienter se gessit, ut maxima proemia reportasse dicitur, atque eo mortuo Pontifice ab *Innocentio VI.* ejus successore, eodem atque honestiori loco haberetur; *Urbanus* quoque *V.* tanti illum fecit, ut eum sibi non solum medicum, sed et commensalem asceriverit, eoque tempore *Guido* noster, anno scilicet a virginis partu 1363 magnam suam chirurgiam scripsit.

Hunc *Fallopium* non dubitavit *Hippocrati* aequiparare, forte quod is primus fuit artis medicae instaurator et coryphaeus, quemque omnes ut prototypum sibi sequendum proposuerunt, ita inter chirurgos, uti inter Anatomicos *Jacobus Carpus* primus artem hanc postliminio veluti revocaverit, cujusque vestigiis alii postmodum institerint, quamvis impari successu. Non solum enim quae ab aliis obscure dicta fuerunt eruditissime illustravit, sed et multa utilia et doctissima de suo addidit.

Hujus laudes memorant: *Joannes Freind* in *Histoire de la Medicine*, a Leide 1727. 12. Part. III. pag. 163. seq. — *Jac. Douglas* in *bibliographiae anatomic. specim.* Edit. 2. Lugd. Batav. 1734. 8. pag. 48.

seq. — Dr. Chr. Wilhelm Restner, medic. Gelehrten-Lexicon. Jena, 1740. 4.

Tractatum de peste specialem nullum scripsit, sed *Chirurgiam parvam et magnam*, in qua posteriori de carbunculo et bubone pestilentiali agit, quaeque diversis temporibus et variis in locis sub hisce titulis in lucem prodiit:

Chyrurgia Guidonis de Cauliaco. Venetiis, 1499. fol.

In principio hujus editionis legitur:

Chyrurgia Magni *Guidonis de Caulico*, edita anno domini MCCCLXIII. in praeclaro studio Montis Pessulani feliciter incipit.

Guidonis de Cauliaco Chirurgia. Lugdun. 1559. 8.

Annotationes sur le Guidon par Monsieur Falco Med. D. et Montis Pessulani Academiae Decan. A Lyon. 1559. 4.

Guido's Questions newly corrected by George Baker, Master in Chirurgery. London, 1579. 8.

Guidonem elegantiori lingua loquentem fecit *Joannes Tagaultius*, Ambianus Vimacus, medicus Parisiensis, qui prodiit sub titulo:

De chirurgica institutione libri V. Parisiis, 1543. fol. — Lugdun. 1547. 8. — Venetiis, 1549. 8. Tiguri, 1555. fol. (cum aliis chirurgiae scriptoribus) — Gallice a Paris, 1629. — Metaphrasis in Guidonem de Cauliaco. Paris. 1545. 4.

Sed ne quis credat, aliam doctrinam in *Tagaultii*, quam in *Cauliaci* opere reperiri, sciendum, rem

esse *Guidonis*, verba *Joannis*, celeberr. *Freindiumque* monere, hunc non semper auctoris sensum recte concepisse.

Chirurgia magna Guidonis de Gauliaco, olim celeberrimi Medici, nunc demum suae primae integritati restituta a Laurentio Juberto. Lugdun. 1585. 4.

In hujus ultimae editionis, (quae in caes. reg. Bibliotheca aulica sub signo * LXIX. II. 55. exstat) Tractatu II. Doc. II. Cap. V. de apostematibus pectoris (p. 103 — 107.) pestem sui temporis ita describit.

Apostemata interna, periculosa, maxime quae sunt prope membra principalia, vidimus in illa ingenti mortalitate, quae apparuit nobis Avinioni, ann. dom. 1348, pontificatus *Clementis* VI. anno sexto. Incepit dicta pestis apud nos mense Januario et duravit per septem menses. Duos habuit modos; primus fuit per duos menses cum febre continua et sputo sanguinis, et isti moriebantur intra tres dies; secundus fuit per residuum temporis, cum febre etiam continua et apostematibus et anthracibus in exterioribus, potissime in axillis et inguinibus, et moriebantur intra quinque dies; et fuit tantae contagionis, praesertim quae cum sputo sanguinis, ut non solum morando, sed etiam inspiciendo unus exciperet ab alio. Itaque homines moriebantur sine servis, et sepeliebantur sine sacerdotibus; pater non filium, nec filius patrem visitavit, charitas erat mortua et spes prostrata. Nomino pestem hanc ingentem, quia totum fere mundum occupavit; incepit in Oriente, et ita sagittas suas mittendo in mundum; transivit per nos versus Occidentem; et fuit ita magna, ut vix quartam partem hominum dimiserit. Pestes tempore *Hippocratis*, *Galen*i et *Gregorii* non occupaverant, nisi unam regionem:

ista totum mundum; illae erant curabiles in aliquo, ista in nullo. Fuit enim inutilis medicis et verenda, quia non audebant invisere aegros timore contagii; et quando visitabant, parum proficiebant et nihil lucrabantur, omnes enim aegrotantes moriebantur, exceptis paucis circa finem, qui cum bubonibus maturatis evaserunt.

De causa hujus pestis multi haesitaverunt. In aliquibus regionibus crediderunt, Judaeos venenasse mundum, et ideo eos interfecerunt; in aliquibus pauperes truncatos fugabant; in aliis nobiles, et idcirco dubitabant ire per mundum. Tandem eo deventum est, ut praeficerentur custodes civitatibus et villis, qui neminem permittebant intrare, nisi bene notum; et si apud aliquem invenissent pulveres aut unguentum, timentes ne essent venena, cogeant eos transglutire. Quidquid tamen populus diceret, veritas fuit: hujus mortalitatis causam fuisse duplicem, unam universalem agentem, alteram particularem patientem. Universalis agens fuit conjunctio major *Saturni, Jovis et Martis*, quae praecesserat anno 1345, die 24. Martii, in 14. gradu Aquarii. Majores enim tales conjunctiones significant res admirandas, fortes et terribiles, ut mutationes regnorum, adventus prophetarum, atque pestilentias magnas. Haec conjunctio impressit talem formam aëri et aliis elementis, ut quemadmodum magnes movet ferrum, sic ipsa moveret humores crassos, adustos et venenosos, et cogeret eos ad intrinseca, et faceret apostemata, ex quibus sequebantur febres continuas et sputum sanguinis in principio, tum forma fuit valida et perturbabat naturam. Postquam autem remissa fuit, natura non adeo confundebatur, quinimo expellebat ad exteriora, maxime ad axillas et inguina, eratque causa bubonum aliorumque apostematum. Causa particularis et patients fuit dispositio corporum, ut cacochymia, debilitatio et oppilatio; propterea moriebantur plebeji, agricolae, sordide vi-ventes.

Ad praeservationem nihil erat melius, quam ante infectionem fugere regionem, et purgare se pilulis aloëticis, minuere sanguinem phlebotomia, restituere aërem igne, et confirmare cor theriaca et rebus odoriferis, placare humores bolo armenica, et resistere putrefactioni acidorum beneficio. Ad curationem fiebant phlebotomiae, evacuationes, electuaria et syrups cardiaci. Apostemata extrinseca maturabantur ficibus et caepis coctis tuis, fermento et butyro mixtis; post aperiebantur et ulcerum ad instar curabantur. In anthracibus cucurbitulae, scarificationes atque cauteria adhibebantur.

Auctor, ut vitaret infamiam, non ausus est recedere, sed cum continuis timoribus praeservavit se praedictorum usu, quantum potuit. Nihilominus versus finem pestilentiae incurrit in febrem continuam cum apostemate inguinali. Aegrotavit per sex septimanas, fuitque in tanto periculo, ut omnes socii sui illum morituros crederent; sed maturato et curato apostemate evasit, profiteturque auctor, se usu theriaca *Arnoldi* de *Villanova* fuisse sanatum.

Post, anno Dom. 1360, pontificatus *Innocentii VI.* anno octavo, retrogradando ex Alemania et partibus septentrionalibus rediit pestis. Incepit versus festum *St. Michaelis*, cum bubonibus, febribus, carbunculis et anthracibus, paulatim augescendo, et aliquando interpolando, usque ad medium anni 61; sed postea ita furiose usque ad tres sequentes menses duravit, ut non reliquerit in multis locis hominum partem dimidiam. Differebat tamen a praeterita, quod in prima plures secesserunt plebeji; in ista vero plures divites et nobiles, et pueri infiniti et mulieres paucae.

RAIMUNDUS CHALIN.

A patria *Vinarius* dictus, versus initium seculi XIV. natus, sua tempestate summus medicus, philosophus excellens, disciplinis mathematicis apprime doctus, maximorum ordine trium pontificum, dum Avenionae consisterent, medicus primarius. Scripsit de peste libros tres, in quibus copiosius, quam alii, de hoc malo disputat, quod Avenionae observavit; sed, quod tantum suo seculo licebat, cum bonae literae jacerent, inepta, rudi et barbara prorsus oratione, in qua tamen, affirmante *Jacobo Dalechampo* hujus operis editore, divinum ipsius ingenium sic elucet, ut, quemadmodum *Virgilius* de versibus *Ennii* dicere solebat, ex hoc stercore purum colligi aurum possit.

Hos libros *Gulielmus Lothorius*, Chirurgus Monspessuli, editori legendos dedit; isque censuit, ut hic suo labore scriptor in manus hominum perveniret; in qua re non tantum orationem mutavit, ut pro inculta illa et horrida, aliquanto splendidior ac nitidior in vulgus prodiret, sed et reposuit vel potius divinavit multa, quae in exemplari vetusto et carioso vix legebantur, et ad usum suae aetatis accommodavit multa, quae pro Arabum consuetudine inaudita medicis ille usurpaverat.

(Vide *Schenkii* bibliothecam med. pag. 462. et dedicationem operis subsequentis.)

De peste libri tres, opera Jacobi Dalecham-

*pii Doctoris Medici, Codomensis, in lucem aediti. Lugduni apud Gulielmum Rovillium. MDLIII. 16^{mo}. *)*

In lib. I. Cap. I. de pestis causis (p. 11—21) originem huius mali statuit triplicem: coeli et syderum gravem adspirationem; ex terris sublatum nocentem vaporem; et compositum simul utroque (p. 11.).

Aëris vitium vocat causam externam vel primitivam, labem in nostri corporis humores transeuntem internam vel antecedentem (p. 12.).

Pestis sui seculi culpam in *Saturni, Martis* et *Jovis* concursum ad 19 gradum *Aquarii* mense Martio anni 1345 derivat, (p. 13.) et pestes annorum 1361 pontifice *Innocentio VI.*, 1373 pontificatus *Gregorii XI.*, et 1382 pontificatus *Clementis VII.* quoque superioribus causis adscribit (p. 15.).

Ad inferiores causas cujusdam regionis refert: lacus, paludes, stagnantium aquarum mephilidem, cloacarum et latrinarum colluviem, facto proelio insepultorum cadaverum foetorem etc. (p. 19.); ad locales et domesticas: lutum et coenum in viis publicis aggregatum; lini, canabis, coriorum, quae in aqua macerantur, graveolentia, occisi cadaver in domo putrescens occultum; si adeat, qui in pestilenti loco versatus est (p. 20.).

Superiores causas medici veteres omnes neglexerunt, praeter *Avicennam*; qui tamen leviter et perfunctorie ea attigit (p. 21.).

In capite II., pertractante: *quonam pacto suis ex causis pestis oriatur* (p. 22 — 33.), haec monita tradit.

Pestis non aliunde increbrescit, quam syderum vi, ac peculiari potestate, qua humores corporis nostri noxam con-

*) Exemplar asservatur in biblioth. caes. reg. aul. sub signo *) LXIX. L. 255

cupiunt, quae et aëri nos ambienti communicatur (p. 26.), attamen nec pecoribus, neque corporibus quibusvis nostris, sed tantum alendo malo idoneis, hoc conflatur periculi (p. 27.).

Sub pestis initia obscurum interdum est vitium aëris; ast mense tertio vel quarto inferiores causae sese adiungunt: tum vapor impurus, ex aquis et terra vi solis et aliarum stellarum eductus, maleficia siderum excipit, post aërem veneno et alienis turbatum qualitatibus corrumpit (p. 28.).

Deinde halitus noxii in aëre resides hausti cum anima, spiraculis arteriarum, venarum, cutis, ad cor usque insinuati, ejus spiritus corrumpunt, et hac ratione superiores causae inferiorum ope adjuvae, pestem summittunt (p. 29.).

Spiritus cordis, vitioso aëre offensus, sua primum exiit temperatione; maloque serpente et augescente humor cordis putredine alieno calore succenditur, et postquam ardorem in corpus universum disjecerit, febres pestiferas, mortiferaque tubercula gignit (p. 30.).

Temperatione spirituum labefactata, putredineque in humorem recepta, vires omnes affiguntur et ad officium languent, succi corporis efferantur; venenum quovis pererrumpens in emissaria protruditur, ubi mora deterius fit, alios humores praeavos devocat, unde carbunculi, gangraenae etc. fiunt.

Cor, quia pestilens humor inimicitias cum natura gerit, certamen id ad multos etiam dies sustinet (p. 31.), donec vel eo gravatum in habitum corporis amandet, vel fatiscens, victum se fateatur, et aeger abeat (p. 32.).

In Cap. III. *quae sint praesentis et futurae pestis signa* (pag. 33 — 38.) enumerantur tam signa pestis ex causis inferioribus, quam ex superioribus. Ad priora calidam et humidam tempestatem etc. ad posteriora cometarum exortus, ignium per coelum accensiones etc.; et ad signa praesentis pestis, complurium in eadem civitate, eodem die, iisdem aedibus repentinum languorem et ex peste multorum cladem (p. 34.) refert.

Observavit auctor, exitiosius malum esse, sanguine abundantibus, quam temperatis; febres septimum vix excedere diem aegris ad id tempus servatis aut interentis; eos plerumque eo ipso, quo correpti die, aut biduo, vel triduo post, vita decedere; languentium corpus lassum nec sanguinis missione, nec pharmaco levare, ideoque eosdem statim vinum sibi dari postulare; quibus sanguis quacunq;ue via rejicitur, eosdem perendie, aut postridie mori (p. 35.); fere omnes deploratos somnum tam altum dormire, ut is excuti nequeat, et horum omnia foetere purgamenta; urinam et arteriarum pulsationem esse variam; sudore manante corpus enervari; pueris ac senibus vermes egeri; in solis morbis pestilentialibus corpus quorundam secundo vel tertio die exanthematibus nigris, caeruleis, purpureis renidere (p. 36.); cum stupore et amentia balbutientes fere omnes ad tertium, quintum, septimumve expirare diem (p. 37.).

Cap. III. *qualia sint in peste medicorum praejudicia* aperit (p. 38 — 53.).

In peste futura medicis praedicuntur:

1) *Febres pestilenciales maxima ex parte lethales esse*; quia medicorum pauci earum causas obstrusas intelligunt, et multis aegrotis medici desunt (p. 38.). — Qua occasione auctor refert, Avenionae multo plures e Judaeorum immunda turba, ex Hispanorum gente gulosa, ex peregrinis libidinosis, e sordida plebe, ex agricolis et servis, quam ex claris civibus, malo tentatos et sublatos (p. 39.), multos terrore consternatos, longe plurimos congressu eorum, qui fuerunt in locis pestilentibus, periclitatos fuisse (p. 40.).

2) *Eos magis examinari, qui corpore sunt ad malum accipiendum paratiore*; huc referuntur: teneres, molles, delicati, biliosi, graciles, calidi; quibus rarius corpus textum est, laxiora cutis spiracula sunt, operosa et laboriosa vita est; qui salaces sunt, e morbo convalescentes, pravis cibus utentes; immundos

(p. 41); mundum autem corpus vocat, cui nec humores quantitate, nec qualitate inutiles sunt (p. 43 — 44.).

3) *Eos, quos pestis interimit, longe maxima parte senescente luna expirare* (p. 45.).

His explicatis auctor monet: ut ii, qui spem salutis in fuga posuerunt, cautissime vitentur; Hispanorum enim, Italarum, Allobrogum et Vellauniorum, suo seculo Avenionem commeantium, interitu pestem, quae diu se innoxiam continuerat, mox erupisse (p. 46.); non in populosis urbibus resistendum, sed in suburbana praedia cum paucis comitibus diffugiendum esse, ut terrorem, quem affert de mortuis rumor, effugiamus (p. 47.), neve ex aliorum familiaritate in periculum incurramus (p. 48.).

Demum informat: non solum in superiori ac proxima, sed etiam in aliis seculi sui pestibus, homines primis mensibus in febres vehementissimas et nocentissima tubercula incidisse, et quarto die, vel serius, alios subita morte, ablatos fuisse; subsequentibus aegros ad septimum diem vixisse, et plures servatos; postremis ad decimum quartum, vigesimum, et longius productos esse morbos (p. 50.). Differre autem hanc pestem ab iis, quae antecesserunt: quod majori aëris et humorum putrescentium varietate illudat; quod morbi non idem sit exitus; quod in plures nationes excurrat, in omnibus fere mundi partes insolescens, in plures deinceps annos prolata sit (p. 51.); mitior tamen aliis, in juvenes et robustissimos quosque durior, senibus parcens, Judaeis quam Christianis longe infestior, ex quibus pene decimum quemque abripuit (p. 52.), cum aliis nunc alarum, nunc inguinum, nunc aurium glandulae, nunc omnium simul earum partium, extuberent, nunc intro refugeant, nunc e mollibus durescerent, certissimo aegrorum exitio; quod denique contagione serpat minus periculosa ac lubrica; namque prima peste duplo plures sunt interempti, quam servati, altera occisi tam multi, quam qui superfuerunt,

in tertia decimus quisque obiit; haec, quae quarta est, vigesimum quemque interfecit (p. 53.).

In Lib. II. de ratione, qua pestis luem a nobis arceamus.

Cap. I. de usu sex rerum, quae non naturales dicuntur, tractat (p. 54 — 94.).

Tempore pestis, inquit, quoad fieri licet, minime in publicum exeundum (p. 56.); si e superiori causa, clausis fenestris inter aedes latendum (p. 57.), si ex inferiore malum prodiit, aedificiis altioribus, si ex ambabus causis, mediis locis commorandum est; succendatur ignis Myrto, Junipero etc. (p. 58.).

Aestuoso vero coelo curandum est, ne incalescat aër (p. 59.), irrigatis oxycrato pavimentis, aut Rosa, Myrto, Salice, Vite stratis, et madidis Rosacea et aceto linteis ad aegrorum cubicula suspensis (p. 60.).

Odoramenta usurpari possunt leviora et suaviora, e g. Rosa, Myrtus, Nymphaea, Camphora; Ambra vero, Moscho, Croco caput feritur (p. 61.). Hyeme domi Citri mali cortex passim disponendus est (p. 62.).

Peregre profecturi, peste ex causa superiori, noctu potius, quam interdiu sese viae committant (p. 63.); aliis corpus exercendum est matutino et sublucano crepusculo. In causa inferiore sola, aut simul superiore, exercitatio corporis constituenda est, cum sol vaporem nocturnum nubiumque densitatem disjecerit et consumpserit (p. 64.).

Si prius exeundum esset cuiquam, is sumat panis buccam succo Limonum, Arantiorum, aut Punicorum acidorum, intinctam, aut Theriaci drachmam dimidiam, electuarium de bolo, manuque gestato odoramenta (p. 65.).

Haec et medicis ad aegros invisuris ex usu sunt omnia (p. 66.). Hi, prius quam ad aegros adeant, jubeant, ut si quid in cubiculo sordeat, efferatur ac converratur, solum posca irroretur, fenestris apertis cubiculi aër ventiletur et renovetur; nec tum tam prope lectum sedere, sed aversa facie colloqui oportet,

praecipere, ut e condito quidquam is sumat, aut os Rosacea et aceto colluat; hyeme non procul ab igne discedat (p. 67.).

Ad *cibum et potum* quod attinet, haec exponit. Succu fructuum arborum pravitate qualitatum emendant, humorum fervescentium impetum reprimunt, putredinem cohibent (p. 68.).

Ex illorum genere sunt mala Punica, Aurantia, Limones, Citria (p. 69.). Eodem consilio pomi de Paradiso et Apii succus exugitur; numerantur et inter haec Cerasa et Pruna, Corna, Sorba, Mispila, Cydonia, Pyra. Fugienda mollia, dulcia, v. g. Ficus, Morae, Persica (p. 70.); dura vero omnia, ut avellanae, amygdalae, juglandes, Pistacia impune permittuntur.

Oleribus non vescendum (p. 71.); ast Intybum et Oxalis antidoti vice habendum. Juvant Cappares conditi (p. 72.); Rapi et Napi esus non interdicitur. Utilia sunt juscula e carnibus et carnes, quibus assuevimus cum succo Oxalidis, aceto etc. Acidorum usus nunquam non oportunus est, si calidorum accessione v. g. Cinnamomi, Croci, nonnihil obtusa sunt.

Vitanda omnia acria, ut Allium, Porrum, Caepae (p. 73.), rancidae juglandes, salsamenta (p. 74.), e lacte parata, dulcia, pingua, oleosa.

Panis e tritico horno aut bimo parandus (p. 75.). Azyma omnia, ut placentae, lagana, ne gustanda quidem sunt.

Vinum esto bimum. album vel subflavum, modice adstringens, non dulce (p. 76.); defrutum et sapa a senibus tantum bibenda; vinum valde dilutum, aqua prius cocta, meracius hyeme (p. 77.); vini stillatitii liquor, rusticorum aqua vitae, non congruit (p. 78.).

Non edenda caro suilla, bubula maxime salsa, anserum, anatum, ardae; si ex inferiore causa pestis est, vitanda etiam caro animalium silvestrium (p. 79.); in peste ex causa superiore volucres minus suspectae sunt, quae propius terras nidulantur, quam quae se procul a terris valatu subducunt, ut gallinae (p. 80.).

Utilissime dantur juscula condita glaciata (Gelatinae) (p. 81.). Carnis multae et ovorum sorbillum ea noxa est, quod sanguinem multum generent (p. 82.); quam ob causam pisces delecti carnibus longe conventiores (p. 83.).

Caeterum victus ratio oportet ejusmodi esse, ut nec attenuet praeter modum, nec immodice spisset (p. 84 et seq.).

Pro tempestate plus minus *vestiendum* (p. 88.), indusia elota Rosacea madeant, in qua Santalum, Camphoram, Rosas diluerimus (p. 89.).

Interdiu minime dormiendum est; si quis sibi temperare non possit, is somnum capito procul a cibo, discintus, in loco non udoso, quam brevissimum. Vigiliae multae fugiendae (p. 90.).

Nulli vel *sitis* vel *fames* toleranda, omnium minime iis, quibus calidior est ventriculus (p. 91.). Crebro, sed parum, edendum.

Inter *animi pathemata* ira praeprimis cohibenda (p. 92.); de morte nec metuendum nec cogitandum est.

Cautissime *libris* opera danda; multos mortem sibi consciuisse auctor adnotavit, quod vel *balneo* vel hypocausto usi temere fuissent (p. 93.).

In Lib. II. Parte II. de medicis remediis, quibus a peste nobis cavemus (p. 95 — 140.) *disserit.*

Avicennas, inquit, pilularum communium auctor, voluit Aloë purgari corpora, Myrrha puritatem conservari, Croco sustineri; ast iis, qui aut multo sanguine, aut pravis succis exuberant, id auxilium non satis est.

In prioribus *vena secanda* est (p. 96.), quae cum incidatur in optimatibus et potentibus viris, quorum mollities nullum medici errorem ferre, nullum dissimulare potest, tempestas diligitur temperata, lunae status nec obscurae, nec e directo infaustorum syderum cuiquam objectae (p. 97.).

Sanguis aliis mittitur semel, aliis pluries. *Galen*i tempore libra una, etiam in adolescente dempta est (p. 98.); cum autem viribus corporis longe ab iis distemus, quos *Galen*i aevum tulit, minuendus ille sanguinis ejiciendi modus (p. 101.).

Ubi non copia nocet humor, sed qualitate, non venaesectione, sed *pharmaco* inaniendum corpus est (p. 105.), et putredini occurrendum alterantibus (p. 106.).

In his autem mandandis ea sit prudentia, ne saepius et validioribus medicamentis medici hominum valetudinem affligant; praeceps namque in ventrem solet esse, cum pestis imminet, humorum omnium decubitus, quem facile medicamentis nos provocamus (p. 107.).

Quapropter clementiores purgationes, e decocto Prunorum, Tamarindorum, Mannae, sero lactis Caprini, quibus diluitur Rhabarbarum, Agaricus, imperandae sunt (p. 108.). Cassia autem non ubique sola et sine discrimine usurpanda est (p. 110.), quia visceribus imbecilibus ac lubricis nocet (p. 111.). Sic Cardinali cuidam, cum imperitus medicus Cassiae unciam unam dedisset, alvus sic erupit, ut unius diei spatio miser quinquagesies desederit, ac dysenteria et tenesmo abierit tandem (p. 112.).

Communium pilularum usus omnibus omnique tempore utilis, exceptis iis, quibus aut recludi solent Mariscae, aut menses tardius emanare (p. 116.). Pro his Rosacea, in qua Tragachantum maceratum est, Aloë lavatur, donec obtusus fuerit summus ille amaror (p. 117.).

De his quavis dierum hebdomade drachma una sumatur, in globulos novem dispertita; primo die quinque, tertio tres, quinto unica, vel ratione contraria deglutiantur (p. 123.).

Diebus, quibus globuli non sumuntur, danda nonnunquam Theriaces, aut Mithridatii drachma dimidia, ut ejus calor mitigetur, e Rosacea, Oxalidis vel Buglossi aqua

aestate, hyeme ex aqua Melissophyli (p. 124.). Juvenibus Rhodosaccharum utilis est, aestate praesertim.

Pilularum communium formula haec est. R. Aloës Hepaticae unciam dimidiam, Myrrhae drachmas duas, Croci boni non adulterati drachmam unam, cum Syrupo de Absinthio vel Oxalide formetur globus.

Septimo quoque die drachma una pulveris electuarii de Bolo, cum pulli jusculo vel aqua Scabiosae bibenda (p. 126.).

Communicantur aliae formulae, partim ex Ambra, Moscho, Camphora, partim ex gemmis, a medicis arabicis compositae (p. 129.). Mavult tamen, vice confectionum apparatus, simplicibus ipsis uti (p. 131.). Inter haec laudatur cornu unicornis et cervi, Caphura et Moschus (p. 134.); inprimis autem antidotus ab *Arnoldo* inventa (p. 135.), addunturque aliae medicamentorum formulae, quae ob multitudinem nunc ridentur, ut absurdae et vanae, despiciuntur (p. 136 — 140.).

In libr. III. de curatione morborum pestilentium (pag. 141 — 240.) explicat: quid sit pestis (p. 142.); quot et quales morbi pestiferi sint (p. 143.); adnotatque, febrem pestilentem nunc esse tuberculorum symptoma, nunc illius ea (p. 145.), et prodiens tuberculum, nulla dum molesta febre, promittere robur naturae (p. 146.); crebrius tamen febres priores tubercula comitari, interna exanthemata, si cor occupent, statim mortem, si pulmones, sanguinis exscreationem, adferre (p. 148.). Morbos omnes pestilentes contagiosos esse asseverat, a febre pestilenti non in sola tubercula, sed in universum corpus, diffusa contagione morbum disseminari (p. 149.); bubones minori periculo conjunctos esse, quam carbuculos; hoc malo quidem totius corporis statum perverti, insigniter tamen cordis.

Auctor animo *curae generalis* hanc ideam concepit: febrem pestilentem vinci iis:

1) quae fervidos spiritus cordis refrigerant, congregant, roborant (p. 153.); uti odoramenta, epithemata, electuaria, cardiaca descripta;

2) quae humorem cordis, ne absumatur, servant; ut pullo-
rum et capi juscula, lactucae, quatuor semina frigida, succus
Arantii, Limonii etc.;

3) quae humores pravos educunt, ac leniunt symptoma-
tum vehementiam; ut clyster, venaesectio (p. 154.) — plures ta-
men sanatos fuisse, quibus vena minime, quam quibus pertusa
fuerat —; potus ex Theriacis drachma cum aqua Rosarum, vel
Oxalidis; assiduae fomentationes tuberculorum cum stupa, de-
cocto Malvae, Chamaemeli madida (p. 156.).

In *cura speciali* autem aetatem infirmi respicere jubet; in-
fantulos, lacte nondum depulsos, a nutriribus bono lacte nu-
triri (p. 157.); majusculis jam reptantibus glandem indere e ter-
gore folii Brassicae uncto oleo communi, vel violato; alvo jam
libera tuberculis stupam canabis purgatae, decocto Chamaeme-
li, Meliloti etc. immersam et calidam singulis horis (p. 158.),
et carbunculis dirumpendis Scabiosam inter duos silices tritam,
cum axungia porci, veteri ac salso imponere, et effluentem ve-
nenatum humorem muria saepius abluere; ruptis aut putrescen-
tibus medicamenta cum stupa potius, quam cum lineo vel la-
neo panniculo admovere (p. 159.), posthac errhypticis et sar-
coticis ulcus ad sanitatem perducere (p. 160.) jubet.

Iis, qui annum tertium excesserunt ad nonum usque,
alvus segnior clystere sollicitanda; bibendum Ordei decoctum;
vinum et caro nunquam offerenda, sorbendum jusculum con-
ditum acidis; edenda panis offula in eo macerata, arrodendi
pullorum pedes et alae summae Oxalidis succo intinctae; Py-
rum vel Malum coctum saccharo insperso delingendum; su-
mendum interea e pulvere de Bolo, Theriace, Trochiscis de
Caphura; viscera ab initio statim epithematibus perfrigeran-
da; carbunculis admovendae stupae (p. 161.).

lis, qui annum decimum agunt ad decimum quartum, alvo soluta, venaescitionis vice, si jugulum, vel fauces, vel parotides intumuerint, primae colli vertebrae, dorsi principio, aut humeris cucurbitulam capacem affigere jubet (p. 162.); hac ablata locum rubentem et tumidum novacula concidere, rursumque cucurbitulam imponere, et sanguinis circiter uncias tres elicere, sed nunquam ipsa tubercula scalpenda esse monet (p. 163.). In alarum tuberculis carnosam lateris subjecti partem, aut dorsi muscolum, qui ex adverso positus est, in bubone vero coxam vel nates scalpello diffindit.

Annum natis decimum quintum ad vigesimum quintum usque, in corporis plenitudine et firmitate, primo statim die sanguis effundendus est, si tuberculum in alis, e vena brachii, si in inguine, e vena malleoli ejusdem partis, ab uncia ad tres vel quatuor (p. 164.), post sex vel octo horas aliquantulum praeterea sanguinis, in non ita sanguine confecto corpore, aut cum medicus serius praesto sit, aegri viribus non valde prostratis, sanguis ad uncias quatuor vel sex, detrahendus est (p. 165.).

lis, quibus aetas jam constare coepit, anno vigesimo quinto ad septuagesimum usque, corpore sanguine abundante, carnoso, nisi ante tertium diem opem dederis, aut utilitate parva, aut frustra omnino post remedium experiare. Statim emittendus sanguis est, ex eadem parte, ad quatuor vel tres uncias, adjecta si conveniat epaphaeresi, post sex horas vel octo (p. 166.): tubercula tum in cerebri emissario fuerint, e vena humeraria, aut e brachii media, aut quae pollicem et dimidium intercurrit ejusdem partis (p. 168.); in alarum tuberculis, aut e media, aut jecoraria, aut quae interponitur medio digito et annulari recluditur; in bubone, e subdita genui, aut quae ad malleolum est; deinde Catharcticum sumendum, et ne quid in cor veneni redundet, in validis corporibus ampla cucurbitula tuberculis ipsis aut proxime ad-

movenda; in mollibus ac imbecilibus madens stupa decocto Chamaemeli, Malvae etc. imponenda est; namque si quid ad cor usque perrumpat, conclamata vita fuerit; his tubercula repente divanescunt et occultantur (p. 169.). Post venaesectionem nihil sanguinis fervorem promptius extinguit, quam potus refrigerans ex aquis Oxalidis, Scabiosae etc. cum syrupo e Limoniis, Ribes. etc. acido simplici, succo Punicorum, Cydoniorum, Malorum acidorum (p. 170.).

Per aestatem aër cubilis refrigerandus (p. 171.); ad refrigerandum cor epithema adplicandum, et hyeme adfecto corpore frigida adjectis calidis temperanda sunt (p. 172.). Deinde sitis et febris vehementiam julepiis mulcere (p. 173.); si corpus sanguinis missionem non ferat, aut medicus post tertium diem accesserit, alvum clystere reserrare, et catharticum mitius exhibere; tubercula hocce tempore adparentia diaphoreticis discutere, vel emplastris ad eruptionem perducere (p. 175.), nunquam autem repellere, monet. Carbunculi, bubones aut pustulae injecto clystere, adhibito purgante et cucurbitulis ad solutionem sollicitandae sunt (p. 176.); cucurbitulis detractis tuberculum stupis aut lana, decocto emollienti immersis et expressis discutere tentandum est (p. 177.). Calefacientia et exsiccantia nocent, immo et emplastra, quia cutis poros obstruunt, halitus venenati evacuationem arcent (p. 179.). Clematidem, Flammulamve tibiae vel brachii musculis alligatam, ut inducta erusta humor nocens a partibus nobilibus detrahatur, in robustis et febre destitutis, magis autem revulsis cucurbitulis adplicationem hirudinum, laudat (p. 180.). Die septimo, tuberculo increscente et ad suppurationem tendente, coquentia adhibere, dein partem cucurbitula elatam scarificare, vel hirudines adplicare, 6 vel 7 sanguinis uncias evacuare suadet; adplicationem vero ferri candentis in robustis tantum et absente febre, admittit (p. 183.). Tuberculum autem, quodcumque ex difficilibus, livescens, nigricans aut inertius, mox scarifi-

candum, muria dein proluendum, ut sanguis exeat, nec ductur, plagae cucurbitula, vel galli deglabrati podex, aut rana aut cochlea imponenda est (p. 185.). Ad tuberculum rumpendum auctor commendat varia cataplasmata emollientia (p. 186.); quibus in corpore duro et cute spissiore quartam partem saponis, vel nitrum, calcem vivam adjicit (p. 187.). Ruptis carbunculis unguentum ex succo Apii, Plantaginis, Absynthii, melle Rosaceo, farina Ordei, simul coctis, ac ex Therebinthina lota, imponere jubet (p. 188.).

Quoad *victum* in tali morbo venenato, ubi magna copia spirituum dissipatur, vires exhauriuntur, hae cibo saepiuscule sumpto reficiendae sunt (p. 192.). Morbi initio, ventriculo adhuc pleno, alvus clystere movenda, et per duodecim horas a cibo abstinendum; post sorbendum est jusculum vel amygdalatum vel pulli. Altero die praeter jusculum malum Pyrum, Cydonium, acidi vel inter acidum et dulce medii, cochlearia duodantur. Tertio die, praeter memorata, pullorum pedes alaeque, galli juvenis testiculi et carnis succus, permittitur. Quarto die praeter superiora glaciatum jus, paratum ex carne perdicis, pullorum et aviculorum, cum pauxillo Cinnamom. etc. conceditur. A die quinto ad septimum nil amplius mutatur (p. 194.). Nonnulli aegri vinum avidissime petunt, ita ut ex cupiditate animus ipsis saepe deficiat; his facies et os vino diluto abluendum est; bibenda vero decocta frigida sunt cum syrupis acidis; et tertio die sub coena vinum permittitur album, subacerbum, quarta parte aquae frigidae temperatum (p. 195.). Praeterlapsa die septimo et periculo aegris abundantius pulli, perdicum; aviculorum caro, dein haedina, haedi intestina, conferunt (p. 196.). In corporibus impuris vero caro febris incrementum adfert, his jusculum avenatum, hordeatum cum Pyro et Cydonio cocto, vel ex suis pedibus et haedi, in aqua et aceti paululo, cum seminibus quatuor minoribus frigidis coctis, exhibendum (p. 197.); notandumque demum est, crebro alimentum offerendum, sed parum; non comittendum, ut aeger esuriat, aut siliat (p. 198.).

Qui gravissimo pestis symptomate *Zona*, nimirum pustulis fuscis, nigris in femore, tibia, brachiis, humeris apparentibus, afficiuntur, curantur: venaesectione, purgatione, Theriaca, pulvere electuarii de Bolo, aqua Scabiosa et Rosacea (p. 199.); tubercula, irrigantur decocto Chamaemeli, Anethi, Malvae, Althaeae, et pustulis injicitur Scabiosa trita cum vitello ovi, sale vel emplastro de malis Punicis (p. 200.).

Aliud symptoma est, vel primo vel sequenti die ingruens, *sanguinis exscretus*, lethale, si ex carbunculo in pulmone vel membranis pectoris exoritur; minus periculosum, si sanguis ut in pleuritide gravi, exsudatione quasi transfluat, quod in iis accidit, quorum pectus angustum est, aut qui sanguine abundant (p. 201.). His vena secanda (p. 202.); bibendum Julep. Rosar. Syr. de Omphacio cum Citr. Limon. succo; sanguinis profluvium leniter promovendum aqua tepida, decocto hordei etc (p. 203.).

Quibus *sub ala glandula mirabilem in modum tumet, mollis, digito cedens, flava, nunc colore livido, nunc a sano non alieno distincta est, brachio toto dolente*, hi sanari possunt glandula altius incisa, alte dimissis scarificationibus, dein admota cucurbitula, evacuando simul humores venenatos hirudinibus, tumore demum imminuto cucurbitulis et aliis epispasticis (p. 204.).

Quibus *in ore et faucibus tuberculum, nunc molle, nunc durum, cum magna deglutiendi difficultate exortum est, aut quibus Parotis ita increvit, ut collum stupendum in modum tumeret*; hi omnes, 6to, 10mo vel 14to die mortui sunt (p. 205.).

Mense Septembri et Augusto solebant, propter aestatis antegressae aestum, *exanthemata diverse colorata et figurata, a priscis latinis Bovilla e dicta*, prorumpere. Ejusmodi aegri ad promovendam Bovillarum eruptionem a refrigerio defendendi, pannis coccinis involvendi, pectus et spina dorsi spon-

giis duabus, calido decocto Meliloti, Chamaemeli madefactis, fovendae sunt (p. 206.), et decoctum ex Caricis, Lentibus et Croco paratum bibendum est (p. 207.).

In reliquis opusculi pagellis auctor medicos contra injuriam eorum defendit, qui in his morbis omnem medici operam derident (p. 208.); et ad quaestiones fuse respondent: an in peste sanguis mittendus (p. 209 — 212.); an dormiendum; an vomendum aegris sit (p. 213.); quale venenum febris pestilenti, carbunculis et tuberculis insit (p. 214 — 216.).

In ultima demum sectione: *de variis pestilentis febris symptomatibus, et eorum remediis*, explicat: quid sit febris pestilens (p. 217 — 219.); quae febris pestilentis curatio; et qua ratione diversis symptomatibus occurrendum (p. 220 — 224.); quid diebus criticis (p. 225 — 228.), quid contra cordis tremorem (p. 229.), animi deliquium (p. 231.), asthma et pleuritem, adhibendum (p. 232.); quomodo pervigilibus somnus conciliandus sit (p. 234.); quid in Synanche (p. 235.), in coli et ilei cruciatibus, sopore et caro (p. 236.), quid in diarrhoea prosit; quomodo vermes necandi et educendi sint (p. 237 — 239.).

Theses defendendae.

I.

Physiologia principale sistit universae medicinae fundamentum.

II.

Foetus non matris, sed suam vivit vitam.

III.

Catamenia nec in plethora universali nec locali radicantur.

IV.

Pulmones et hepar in organismo humano analogis praesunt functionibus.

V.

Non plures dantur generis humani species.

VI.

Praevalens sanguinis character venosus meretur majorem medicorum attentionem.

VII.

Cuique narcotico sua competit vis specifica.

VIII.

Summopere necesse est, ut medicus genii epidemici et endemici, ubi praxim exercet, perfectam habeat cognitionem.

IX.

Primum exanthematum stadium diaphoreticis non est tractandum.

X.

Delirium tremens non ad inflammationes, sed ad neuroses referendum esse videtur.

XI.

In ileitide, feбри nervosae accedente, methodo antiphlogisticae non nimis fidendum.

XII.

Qui morbos adynamicos meris stimulantibus tractat, adynamiam auget.

XIII.

In cura ulcerum plus a remediis internis quam externis expectandum, hinc ad forum medici et non chirurgi referenda.

XIV.

Cura expectativa in febribus, in adynamiam vergentibus, reliquis praefenda.

XV.

Medicum forensem in nulla scientiarum provincia peregrinum esse, oportet.

XVI.

Praxis medico-clinica, et forensis, medicinae speculativae lapis Lydius est.